



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatvs De Censvris Romano Pontifici Reservatis**

**Ugolinus, Bartholomaeus**

**Venetij, 1609**

Illvstrissimo Ac Reverendissimo Petro Aldobrandino S. R. E. Cardinali  
Amplissimo: Bartholomæus Vgolinus S. P. D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61365](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61365)

ILLVSTRISSIMO  
AC REVERENDISSIMO  
PETRO ALDOBRANDINO  
S. R. E. CARDINALI  
Amplissimo:  
Bartholomæus Vgolinus S. P. D.

**V**A erga Christianam Rempublicam  
merita tot, ac tanta sunt Cardinalis  
Amplissime, ut nemo sit, qui Apostoli-  
cam Sedem quam maxime auctam, or-  
naramque velit, quin se tibi plurimum  
debere fateatur. Nam, ut mittam infi-  
nita propemodum, quæ abs te præclarè gesta sunt, ad no-  
bilissimam, celeerrimamque Ferrariæ Vrbem recuperan-  
dam a Clemente Oct. Pont. Max. Patruo tuo Legatus mis-  
sus tanta facilitate præter omnium opinionem ipsam Ro-  
manæ Ecclesiæ recuperasti, vt apud vniuersos summam  
gloriam tibi pepereris, & ab ijs etiam, quibus infensus vi-  
deri poteras, commoda non pauca deportaueris. Ac plane  
quis exercituum ductor putasset eam Vrbem sine sanguine  
recuperari potuisse? Tu tamen tua singulari pruden-  
tia, tua ingenti virtute sic rem egisti, vt nulla hominum  
elade, nullo prælio facto, summa felicitate ipsam recepe-

a 2 ris.

ris. Hac re primū tam insigni gesta, non multo post exor-  
to periculosisimo bello inter potentissimos Christianæ re-  
ligionis Principes (quod quidem grauiter dolendum erat,  
ut armis inter se contulerent, quæ in Christianæ religio-  
nis hostes melius, ac iustius vertere debebant) quis existi-  
masset Principum irritatos animos ab armis facile disces-  
furos esse? Ad hos tamen placandos à Pont. Max. qui iam  
te, iam ingenium tuum nouerat, Legatus itidem missus  
tuo summo consilio, diuinaque propemodum solertia, &  
bellum ipsum excitatum extinxisti, & eodem Principes,  
maxima omnium lætitia inter se conciliasti. Verū hæc  
foris quodammodo a te gesta sunt, quanti vero ea facien-  
da, quæ domi non minus prudenter, quam liberaliter egi-  
sti? Nam, cum in amplissimo dignitatis gradu collocatus  
sis, apudque Romanum Pont. virum Sanctissimum, Pa-  
truumque tuum ob singulares in primis animi tui dotes,  
plurimum valeas, quot Illustres viri per te dignitatibus de-  
corati sunt? quot doctrina præstantes beneficiis affecti?  
quid de eximia liberalitate dicam, quam superioribus an-  
nis Tyberi totam penè Vrbem inundante erga pauperes  
domi aquis obsessos exercuisti? Beatum te Cardinalis am-  
plissime, qui in istac florenti ætate tot, tantaque feliciter  
gessisti, quæ nulla posteritas ignorabit, nulla obscurabit  
obliuio. Hæc igitur sunt, quibus gloriösi nominis tui fama  
longe, lateque vagatur, hæc, quibus omnes te in celum lau-  
dibus ferunt, hæc, quibus omnes se tibi plurimum debere  
fateri debent. Quare, ego, etsi omnium minimus sum, res-  
bus

bus tamen istis a te gestis incensus te plurimum semper  
admiratus sum, te plurimum obseruaui. Lectis postremo  
tuis humanissimis litteris, quas superiori anno Quarto Id.  
Maij ad me misisti, mihi crede, sic ipsis sum affectus, ut ex  
eo tempore nihil magis optauerim, quam occasionem mihi  
dari, quod meum hunc erga te animum aliquo officij generere tibi patefacerem. Cum ecce hoc mihi cogitanti occurrit Tractatus de Bulla Cœnæ Domini, quem cum promulgandum mihi proposuerim, tuo nomini dicatum in lucem  
prodire volui; est enim opus tibi etiam quodammodo afflunde debitum, quippe Clementis Octavi Pont. Max. Patruji tui, nam Bullam Cœnæ Domini ab eodem editam de claraui. Hilari animo igitur labores hosce meos accipias;  
nam, si hoc feceris, animum mihi dabis, ut posthac quo grauiora, maioraque offerre tibi possim, studiosius, ac libentius in litteris elaborem. Vale. Barbiani. Calend. Maij. 1602.

PRO-